DE CONTRA-IRRITATIONIBUS DISSERTATIO INAUGURALIS QUAM ... AD MEDICINAE...

Camillo Muzzi

DE
CONTRA-IRRITATIONIBUS

Dissertatio Inauguralis

QUAM
ANNUENTIBUS
PERILLUSTRI FACULTATIS MEDICAE DIRECTORE
SPECTABILI DOMINO DECANO
EC CLARISSIMIS D. D. PROFESSORIBUS

AUSPICE

D.^{RE} ALOYSIO SCARENZIO

PHARMACOLOGIAE ET PATHOLOGIAE P. O.

Ad Medicinae Aureum

RITE ASSEQUENDAM

IN C. R. UNIVERSITATE TICINENSI

UNA CUM THESIBUS PROPUGNANDIS

publicae disquisitioni submittit

MUZZI CAMILLUS

EX PAPIA



TICINI REGII
Ex Typographia Bizzoni
1845.



DE CONTRA-IRRITATIONIBUS.

Contra-irritatio (a contra atque irritare) vox est qua Medicina utitur ad quamlibet irritationem designandam arte excitatam scopo alterius irritationis vel phlogoseos in organismo sedentis imminuendae, frangendae, aut removendae. Para in qua contra-irritatio generatim adplicatur corporis externa superficies est: et quamvis nonnullorum medicaminum internorum, uti essent purgantia, emetica, etc. efficacia, contra-irritationi quam gignunt probabiliter debeatur, hic tamen sermo nonnisi erit de contra-irritatione externa. Quum haud raro occasio observandi occurrat plures morbos sponte ad sanitatem vergere per contra-irritationem forte enatam, probabile videtur medendi artem illam hac de causa in usum traxisse. Id frequentius observatur in membranarum mucosarum adfectionibus sub-inflammatoriis, ast exempla non desunt in quibus mania, paralysis, chorea aliaeque plures aegritudines tali modo sanatae sunt. Exanthemata, aliique morbi eruptivi idem quo-

dammodo ostendunt, nam eruptio vel sit molimini curativi effectus directus, nisus nempe virium vitalium, vel a cutis peculiari affinitate cum viro sive causa morbifica per corpus vaganta procedat, ejus adparitio intra quosdam limites salutaris evadit. Hoc probatur ex levamine in internis functionibus manifeste exorto, nec non a febris remissione inducta ab externa morbillorum, variolarum, scarlatinae, erysipelatis etc. eruptione. Interdum vero febris exacerbatur et symptomata omnia hac de causa graviora fiunt. Ita pariter morbus chronicus cutis aliquoties aegritudinem membranarum mucosarum praeexistentem mitigat; dum alias super ipsam reagit ac graviorem reddit.

Hi porro varii atque etiam oppositi effectus aeque producuntur a nova irritatione quae in systemate cutaneo arte excitetur: hinc liquido patet quod si hoc auxilium haud consulte propinatur, perniciosum potius evadere potest quam salubre. Edocet experientia vesicans aut aliud quodcumque contra-irritans, sub quibusdam organismi conditionibus, phlogosim praegravare, quam illud tollere destinabatur. Si investigamus quaenam sint istae conditiones, consistere praeprimis in majori irritabilitata circuli generalis vel in excedenti nervorum systematis sensibilitate invenimus. Pariter nobis palam erit remedia, quae uti contra-irritantia adhibentur, alios habere effectus, a quibus maximo in gradu eorum utilitas immutatur. Ex hi-

sea nobis patet, quaenam utilitas a contro-irritatione expectanda est; nunc effectus atque usus perpendamus sub diversis formis morborum in quas praxis eam adhibuit.

Contra-irritatio et relate ad suum gradum, et ad diversos textus partesve super quas agit consideranda est. Itaque ordinatim remedia significabimus dicta rubefacientia, vesicantia, contro-irritantia pustularia vel empyematosa, setones, cauteria, vesicantia perpetua, contra-irritantia cauterisantia.

Rubefacientia.

Contra-irritatio in suo gradu minimo consistit in erythematico capillarium cutis incitamento, quod in completam resolutionem, interdum etiam in cuticulae desquamationem terminat. Quodcumque cuti adplicitum hunc contra-irritationis gradum promovere valet rubefaciens adpellatur. Gradus moderatus caloris tam sicci quam humidi, olea essentialia, spiritus, aether, sinapis, piper, alcalia fortia, acida mineralia diluta, aut acida debilia sub forma concentrata, et omnia fortiora contra-irritantia diluta adplicita, vel per breve tempus, super cutim uti rubefacientia agunt, atque ad hunc contra-irritationis gradum provocandum adhibentur. Nulla cum adsit evacuatio praeter insensibilis transpirationis augmentum, rubefacientium actio contra-irritationis principium il-

lustrat, et quidem melius quam illa efficaciorum epispaticorum; casus porro in quibus summopere praestant neque leves neque rari sunt. Ampulla aqua admodum calida, aut sacculus calidissima arena repletus, cataplasma ex mica panis vel farina seminum lini et aceto calido conflatum cum quadam sinapis aut piperis quantitate, linimentum ammoniacale, vel oleum esculentale pro frictionibus adhibitum, panuoli gossypii aut lanei aethere aut spiritu camphorato madidi super outim relicti, evaporatione impedita eos manu calida obtegendo, remedia sunt rubefacientia, quae saepenumero leves phlogoses internas removere, ac graves aliquantisper cohibere valent. Incipiens juguli inflammatio per linimentum ammoniacale anteriori colli parti impositum saepe sanatur; levis phlogosis catarrhalis aut rheumatica, eodem sanatur adminiculo, vel per olei essentialis cajeput, abudva ad pectus, aut ad partem adfectam adplicitum; adfectio gastrica, speciatim quando a forti medicaminis dosi pendet, a sinapismo haud raro lenitur, vel etiam ab aquae calidae ampulla epigastrio adplicita; atque proprietas quoque rubefaciens jungitur derivativae, pediluvii, quando addita farina sinapis, vel piperis, aut acidis fortioribus adhibetur ad cerebrum levandum in febribus cum vigilia, sopore, aut sub-delirio. Phlogoses chronicae mitiores nonnullae utpote remedia permanentia, rubefacientia habent. Tali pacto emplastrum ex

galbano ac pice, cujus actio irritans canthari-
dum pulveris additione quoque intenditur,
contra tusses atque chronicos rheumatismos
haud parvae utilitatis est. Compositio vetus
emplastri ex sapone et ammonii muriato, uti-
lis adeo famularum genubus quae lintes lavant,
aliud suppeditat exemplum: verum et aliud
familiare reperire possumus in effectu panni
lanei recentis cuti impositi, qui ullo absque
dubio proprietati rubefacienti, tribui debet. Hi-
sce factis addi possunt frictiones atque elec-
tricae favillae, quae essentialiter sunt rubefa-
cientes, extremae quarum eruptionem papu-
larem gignunt; nec non laminae magneticae,
quas nonnulli Galliae medici commendant, do-
cente Laënnec, simili effectu gaudent. Rubefa-
cientia speciatim si magna in extensione admo-
veantur, stimulantia generalia ac localia sunt:
et quamvis eorum localis effectus generalem
elidat in levi febrilis incitamenti casibus, mi-
nus admittenda sunt ubi diathesis generalis
phlogistica praevaleat, in gravioribus atque
extensis inflammationibus fortioribus contra-
irritantibus locum cedere debent.

Contra-irritantia rubefacientia magis activa
sunt sinapismi, cataplasmata nempe ex sinape,
eorumque actio adeo prompta et efficax est,
ut prae caeteris irritantibus seligenda sint, quo-
tiescumque irritans subitaneum locale opus
est. Communiter sinape panisque mica compo-
nitur in aequalibus aut diversis proportionibus,

et ad cataplasmatis consistentiam per acetum calidum redduntur. Praeclarissimi Trousseau et Blanc (anno 1830) nonnulla experimenta descripsêre de sinapismorum compositione. Hi detexerunt acetum plurimum imminuere proprietatem irritantem sinapis fuscae, quae corticem una cum seminum flore continet, et hinc commendarunt ut cum aqua efficerentur sinapismi. Ast sinapis anglicae pulvis, quae est farina flava ex integro a seminis parte corticali sejuncta, aeque efficax est quando aceto vel aqua commisceatur. Sinapismi ex sinape recanter molita confisti, promptius agunt quam illi ex sinape longum per tempus servata. Trousseau et Blanc sinapismos cum alcohole experti sunt, verum minus efficaces esse quam illi ex aceto et aqua docuerunt. Doctor Paris ad sinapismorum effectus sollicitandos terebinthinae oleum commendat, cujus efficacia pendet a proprietate extrahendi oleum essentiale quod seminum sinapis principium irritans sistit. Sinapismi paucis horas momentis post eorum adplicationem caloris sensum excitant, qui usque ad dolorem acutum urentemque increscit, et ad eum evebitur intensitatis gradum ut prorsus intolerabilis evadat. Post aliquod tempus dolor imminuitur et ponderis ac plenitudinis subsequitur sensus cum vividiori arteriarum pulsu. Intra viginti aut triginta horas momenta dolor urens iterum redit, et si aegrotans insensibilis non est propter aliquam cerebralem adfectionem,

sinapismi adplicationem ultra horae dimidium ferre nequit. Effectus qui in cute contingunt notatu digna sunt. Sinapismus cute adplicitus paucis tantum minutis ruborem eadem in proportione ac dolorem minime gignit, ast paulo post quam ablatus fuerit, colorem coccineum adipiscitur pars. Quando per decem et plura horae momenta relinquitur, cutis fit violacei coloris, qui longum perdurat tempus post sensationis cessationem. Interdum vesicae efformatur irregularis post quadraginta aut quinquaginta minuta, sed valde imperfecta neque in proportione cum phlogoseos gradu. Talis est inflammationis intensitas, ut gangrenae immineat periculum, si sinapismus adplicitus ultra horam remaneat. Donec sensibilitas viget, dolor immodicus securitas esset contra nimis diuturnam sinapismi adplicationem; sed in stuporis ac insensibilitatis casibus permitti non debet ut ultra horam adplicitus remaneat. Dolor a sinapismis excitatus ope adplicationum frigidarum, vel, juxta dominos Trousseau et Blanc, cataplasmatum ex foliis hyosciami, belladonnae et stramonii, vel unctionum harum plantarum extracta continentium leniri potest. In pluribus organorum phlogosibus, in perturbationibus nervosis, spasmodicis, imque phlogosibus propter suam sedem, plus quam propter gravitatem atque extensionem periculosis, sinapismi maximae virtutis remedia constituunt.

Vesicantia

Secundus contra-irritationis gradus, de quo sermonem habebimus, ille est in quo capillaria incitata fluidum manant serosum, quod epidermidem sejungit e cuti, extollitque in vesicas. Magis activa ex rubefacentibus, quae modo enumeravimus, si per temporis intervallum sufficiens adplicita maneant, hunc gignunt effectum; ast eorum vesicatoria proprietas haud semper rubefacienti respondet et generatim alia in usum trahuntur quae sicuti vesicatoria certius agunt. Quidem succi vegetabiles parvarum vesicarum eruptionem inducunt: sicuti illi nonnullarum specierum ranunculi, clematitis etc. Ast cantharis remedium sistit, quod melius respondet uti vesicatorium, quodque vix non semper adhibetur.

Proprietas activa hujus remedii, juxta Robiquet disquisitiones, residere videtur in quodam principio peculiari solubili in aethere et oleo, cui cantaridinae nomen datum fuit. Forma itaque sub qua utilius admovetur consistit in unione cantharidum in pulverem redactarum et axungiae suillae vel alicujus substantiae pinguis, una cum cerae vel resinae data proportione, quo mollis emplastri consistentiam obtineat. Hoc extensum super alutam, ceratum vel aliam substantiam convenientem et cuti admotum, caloris ac punctionis sen-

sum in parte cito gignit una cum circuli ac pulsuum incitamento dum ampla fiat adplicatio. Si post duas vel tres horas vesicans amovetur, ejus effectus modo rubefaciens est, neque oritur vesica; verum si relinquitur per sufficiens temporis spatium, varium pro variis individuis ex quinque ad decem horas, cutis in magnas vesicas elata reperitur sero flavescente repletas, quod et post ablatum vesicans scatere continuat. Quibusdam in casibus vesicae haud prodeunt donec medicatio peracta sit, quare minime necesse est ut relinquatur emplastrum cuti adplicitum usque dum efformatae sint, aut, uti vulgo dicitur, extollantur vesicae. Quando vesicae bene elatae sunt, forfice inciduntur, et ita serum exit; si vero partem ad sanitatem restituere velimus, sat erit cum simplici unguento super linteum extenso eam mederi. Seri secretio quandoque per aliquot tempus viget et novae extolluntur vesicae: haec pariter ac aliae tractandae sunt, medicationem bis de die renovando. Fluxus seri per vesicantia inductus, illa reddit evacuantia non minus quam contra-irritantia, et haec proprietas in medicatricibus eorum facultatibus judicandis maximi momenti facienda est. Usque dum vesica perfectae evoluta haud sit vesicantia cunctos praeseferunt generales effectus stimulantes, quos retulimus, uti pertinentes ad contra-irritantia generatim. Sed effusio seri hujusmodi effectus valdopere mutat, adeo ut

post medicationem pulsus debilior ut plurimum inveniatur quam ante vesicantis adplicationem. Princeps vesicantis incitamentum haud raro ad facultates mentales diffunditur; ejus evacuatio depressionem generalem affert cum proclivitate ad somnum. Hi diversi effectus in aliquibus individuis magis conspicui sunt quam in aliis, nec non pro morbi praesentis diversitate necessario differre debent.

At cantharides proprietatibus gaudent sui generis, quae influxum in actionem vesicantium generalem saepe saepius exercent.

Quando earum principium activum absorbetur et in organismum devehitur, admodum irritans evadit, et peculiari modo organa uropoetica aggreditur, stranguriam, nec non lotii sanguine commixti fluxum inducens. Id ut praepediatur, aegrotantibus vulgo suadetur, ut perdurante vesicantis actione liquida diluentia mucilaginosa abunde bibant. At silere nequimus praxim hujusmodi non parum ad vesicantis imminuendos effectus conferre. Pluribus in phlogosibus, singillatim in illis cavi thoracis, vesicantium scopus praecipuus est seri effusionem cohibendi internam, vel ejus absorptionem promovendi; et id efficiunt serum e sanguinis massa in vasis contiguis extrahendo. Verum si in ventriculum magna copia liquida inducuntur, cito absorbentur ac in fluida circulantia evecta, effectum librant vesicantium utpote evacuantium localium, eaque simplicia

contra-irritantia reddunt. In hisce casibus perutilis est abstinentia a magna liquidorum copia, et hinc ad alia deveniendum est adminicula, quo cantharidum absorptionis effectus irritantes praecaveantur. Hoc obtineri potest ponendo inter cutim et emplastrum vesicatorium frustum veli aut telae subtilissimae oleo imbutum, quod cum principium vesicatorium solvat, ejus effectus cuti transmittit, dum velum aut tela impedit quominus cantharidum particulae cuti adhaereant, postquam epidermidis sejunctio superficiem absorbentem satis activam illam raddidit.

Generatim sex horae pro vesicantis adplicatione sufficiunt; etenim vel vesica elata sit, vel non, si cutis hoc tempore rubra valde et inflammata praesafertur, vesica quasi constanter adparebit post emplastri remotionem. Vesicantia simplicia, uti Galli vocant *vessicatoires volans*, ut ab illis distinguantur quorum suppuratio diu post adplicationem sustinetur, sunt remedia jure merito commendata in inflammtionum cura. Utpote rubefacientia vel simpliciter contra-irritantia, vesicantia sinapismis aliisque medicaminibus antea enumeratis cedunt. quoad eorum effectum evacuantem localem principem locum inter plura alia controirritantia tenent. Una cum aliis hujusce classis remediis, in primis acutae et extensae phlogoseos stadiis vesicantia minus conveniunt: quum vero circuli incitamentum generale et

reactionis vitalis intensitas per venaesectiones vel alia adminicula adeo fracta sint, ut ullo absque periculo temporaria vesicantis actio ferri possit, tunc ejus actio fit admodum salutaris, praeprimis partis affectae irritabilitatem tollendo, et dein eam removendo vel per seri effusionam destruendo. Haec effusio adminiculum est, quo ad partem irritatam talis fiat revocatio, ut aliarum partium morbosae exhalationes resorbeantur atque per ipsam eliminentur; et hinc vesicantia plus quam rubefacientia in membranarum serosarum phlogosibus indicantur.

Praeter cautionem vesicantia minime adplicandi in primis periodis, necesse est ut caveamus ne nimis prope phlogoseos sedem ea ponamus quippe eorum proximitas graviorem illam efficare potest, binas phlogoses terminantes in unam importando. Inter chronicas inflammationes, quae membranas serosas et mucosas adoriuntur maximum ex vesicantibus excipiunt beneficium. In phlogosibus pleurae ac paritonei effusione comitatis, horum effectus evacuantes sunt pariter notae utilitatis. Sed in viscerum parenchimatis phlogosi, et in illa membranarum una cum magna effusione liquida, potentiora contro-irritantia majori efficacitate pollent.

Summe requiritur prudentia ad statuendum tempus in quo vesicantia cum emolumento praescribi possunt. Doctor Rush putat

omnibus in febribus existere periodum, in qua salutaria evadere possunt. Per contrairritantia vel revulsiva promptiora potentioraque, uti esset aqua ebulliens, sanationes plures observatae fuere in pejoribus febrium formis, per ipsa enim aeger de repente a comate ad sui conscientiam revocatus fuit. Dominus Marjolin suum casum uti exemplum hujusce curae in medium profert. Sicuti in subsequis locali laesioni effectibus magnum adest discrimen, generatim enim ad gangraenam illa vergit, ita in casibus tantum extremis ad hanc praxim confugiendum est.

Quidquid de rubefacientibus in adfectionibus spasmodicis ac convulsivis dictum fuit, vesicantibus aeque referri potest, quae reapse auxilium constituunt quod generaliter adhibetur, quamquam vesica completa probabihter inferior sit sinapismis per breve tempus iterum iterumque adplicitis. Status extat irritabilitatis generalis organismi variis atque interdum fugacibus doloribus comitatus, absque duritie ac pulsuum plenitudine, qui non raro vesicantis adplicationis ope valdopere lenitur, qui irritationem localem reddit atque ita organismus incolumis servatur.

Generatim vesicantium usus haud convenit in casu renum phlogoseos, aliarumque viarum urinalium partium per effectus cantharidum irritantes super haec organa quando absorptio contingat, et quamvis id generatim

praecaveri possit cautiones quas jam exposuimus observando, tamen quoddam aliud praeferre contra-irritans, res perquam prudens in hisce casibus est. Hoc saltem postulat ut ego pauca verba faciam de aliis remediis vesicatoriis.

Omnia agentia irritantia quae maxima celeritate atque efficacia agunt, quin epidermidem destruant, eam extollunt primitus in vesicas fluido seroso repletas. Ita aqua ebulliens, ejus vapor, alcaha concentrata, atque metalla calefacta in aqua, uti a Domino Antonio Carlisle commendatur, hunc pariunt effectum.

Calor intensus, acida fortia, nec non quidam sales metallici corrugantes ac destruentes cuticulam immediate uti escharotica potius agunt: sed hic vesicas provocandi modus perdifficilis evadit; porro phlogosis quae illum comitatur characteris est diffusi incertique, ac gravia saepe ulcera gignit. Adest methodus vaporem aquae ebulientis per jactum admovendi, ope vasis strictum orificium praebentis, per quam vesica excitari potest, quin profundiores partes petantur. Liquor ammo. nii cum aequali pondere axungiae suillae ita adplicari potest, ut intra quindecim aut viginti horae momenta vesicam inducat, ast nisi summa necessaria sit celeritas, haec agentia quamvis ita temperata, tamen ut simpliciter vesicantia nequaquam seligenda sunt.

Contra-irritantia pustularia vel empyematica.

Usque in praesentiarum verba fecimus de illis gradibus inflammationis artificialis externae, qui in resolutionem vel effusionem serosam terminare solent; adest vero classis potentiarum contra-irritantium, quae profundiori modo adgreditur textum cutaneum, puris inducendo secretionem. Acidum sulphuricum et nitricum quorum actio escharotica imminuitur dummodo miscelam ineant cum oleo vel adipe, inducunt processum phlogisticum, qui cito formam assumit pustularem, pustulae porro modo parvae et disjunctae, modo majores et confluentes relate semper ad quantitatem et concentrationem acidi adhibiti. Sed praeparatum quod magis respondet ad promovendam inflammationem pustularem, est tartarus stibii. Doctor Jenner fuit primus qui hoc medicamen externe adhibuit sub forma unguenti, proportione partis unius hujusce praeparati cum quinque unguenti spermaceti. Progresso temporis ab omnibus medicis adhibitus fuit, et fere undique uti irritans pustulare praescribitur, eo in modo quo cantharides ad gignendas vesicas.

Tartarus stibii non exercet in cuticulam actionem corrosivam aut solventem, unde fit ut interdum magnae cum difficultate effectus hujusce applicationis persentiri possit, et eo

magis difficultas adaugetur quo magis cuticula sit inspissata aut crassa. Ad hoc vitandum oportet ut antea pars excitetur cum linteo, vel penicillo, aut spiritu camphorato, aut cataplasmata sinapis per pauca horae momenta adplicito. Excitata vascularitate et sensibilitate cutis, defricetur unguentum ex tartaro stibiato, et effectus erit aequabilior et certior: dum e contra cum methodo ordinaria habemus paucas tantum et amplas pustulas.

Alia methodus contra-irritationis inductae per tartarum stibii, statit in solutione aquosa saturata; per elegantiam et hujus formae decentiam non raro praefertur, quando praecipue videatur incommoda unguenti adplicatio. Convenit solutionem instituere eâdem ad illum usque gradum ut cutis illam ferre valeat, nam calor reddit aquam idoneam ad majorem salis quantitatem solvendam, et etiam in cute effectus celeriores evadunt. Excitata primitus parte uti jam diximus de unguento, defricatur solutio ope lintei, et continuatur per plus minusve tempore spatium juxta affectus quibus indigeraus. Pustulae tali modo excitatae frequentar sunt parvae et numerosae, et quando adplicatio nec diu, nec iterate instituta fuit, celeritar exsiccantur et senentur. Post adplicationem tartari stibii tam sub forma unguenti quam solutionis convenit partes tegere. Inflammatio pustularis vel suppurativa tali modo excitata generatim in sua actione contra-irritante est ma-

gis permanens et profunda quam vesicae formatio. Puris formatio majorem postulat incitationem actionis vitalis, et gradum altiorem localis irritationis quam affusio serosa, quin organismus persentiat actionem stimulantem majori in gradu.

Hac de re animadvertendum est tartarum stibii meliori sub indicatione quam vesicantia convenire ad amovendas inflammationes parenchymatosas profunde insitas, atiam in stadio acuto; et quamvis praetermittendae non sint pro necessitate sanguinis depletiones, nihilotamen secius minori baesitatione quam ad vesicantia possumus ad hoc praeparatum confugere, quia absorptio pharmaci et ejus transitus in organismum modo antiphlogistico agit, potius quam irritante. Absorptionem raapse contingere clare patet e nausea et vomitu interdum pertinaci qui ab usu hujus medicaminis exoriuntur. Forsan aliis contra-irritantibus locum cedit in pleuritide, meningitide, et illis inflammationibus in quibus metus praecipue adest effusionis serosae. Pariter contra gastritidem non arridet per vomitum quem provocat. Prae vesicantibus seligendum sane erit in plurimis aliis inflammationibus acutis, atque peculiari modo ejus praestantia abonde comprobata fuit in phlogosi pulmonum, bronchiorumque. In chronicis inflammationibus virtus contra-irritans tartari stibii unicuique patet. In bronchitide chronica et pertussi levamen affert:

magis quam vesicantia, et pluribus in casibos processum tubercularem detinuisse videtur. Nonnulli ejus utilitatem experti sunt in morbis articulationum et ossium; et adsunt chirurgi qui illo prae moxa utuntur. Casus referuntur in quibus chorea, epilepsia, et alii morbi convulsivi, nec non mania, paralyses et nevralgiae, per contra-irritationem a tartaro emetico ad nucam, secus spinam, aut secus nervi decursum inductam, levamen obtinuerunt, immo etiam sanabantur; bene quoque respondet ad devincendas inflammationes oculorum, aurium, et fanciun, quae quandoque a peculiari pendent aegrotantis constitutione et nonnisi perdifficili negotio sanantur. Quando inflammatio a tartaro emetico excitata nimis intenditur, possumus illam mitigare ope adplicationis cataplasmatis panis calidi, quod non opponitur progressui pustularum.

Vesicantia perpetua, Cauteria et Setones.

Inflammatio hisce exorta adminicolis varios praebet gradus intensitatis, at secretio nunc est purulenta, nunc serosa. Irritatio per cauteria et setones magis profunde instituitur, etenim ipso textui subcutaneo admoventur.

Cauteria conficiuntur cutim exsolvendo per incisionem, per vesicatorium, vel per escharoticae substantiae adplicationem, uti essent, potassa, nitras argenti, murias antimonii etc.; et

in vulnus introducendo aliquod corpus heterogeneum, causa irritationis sustinendae, et provocandae ulcerationem. In producendo ulcere caustiCorum ope, circumscribere oportet operationem, et partes propinquas tegere certo adesivo loco ulcerationis perforato. Potassae fusae frustulum, quod foraminis loco apponitur, post quatuor vel quinque horas escharam efformat circumdatam areola inflammata. Eschara medicata cum unguento cytrino, vel alio quocumque stimulanti incipit sejungi, pus per paucos dies secernitur, et deinde cadit eschara ulcere relicto plus minusve profundo.

Setones conficiuntur integumentorum portionem perfodiendo, cum acu onusto fasciculo lini, modo ut a duabus aperturis pendulum haereat fasciculum. Ut adaugeatur irritatio, omni die lina inunguntur cum unguento resinoso, et renovantur, ad servanda vulnera aperta. Rennovandi necessitas potest vitari a substitutione lungae vittae gummi elastici, aut plumbi. Inflammatio exorta per setones interdum adeo intenditur, ut ad illam cohibendam opus sit confugere ad cataplasmatum usum, et eorum medicatio cantalas postulat foro pertinentea chirurgico. Haec remedia, quando sufficienti energia agant, maximum afferunt levamen in chronicis inflammationibus varii generis. Sic, interdum valent ad apoplessiam, paralyses, et alios morbos praecavendos, quamvis in hisce tantummodo adminiculis non omnam ponera

debeamus spem. Adhiberi etiam possunt in morbis cutaneis ad revocandam naturalem contra-irritationem silentem. Omnibus in casibus in quibus setones vel cauteria instituta fuere, non est prudens consilium de repente secretionem supprimere; sed id paullatim facere debemus, diligenter nimirum sustinendo physiologicam intestinorum actionem, aliorumque organorum secernentium. Nonnulli haec auxilia cum utilitate experti sunt contra tumorum augmentum et effusiones hydropicas.

Contra-irritantia Caustica.

Omnes illas operationes hoc nomine comprehendimus in quibus calor utpote contra-irritans adplicatur ad eum usque gradum evectus, ut partis destructionem provocet. Harum omnium operationum communis extat effectus eschara, aut ulcus profundum plus minusve intensum circumfusum phlogosi, a qua mortuae partis separatio determinatur, et inde ulcerosa ibidem fovea producitur. Localis tali modo incensa inflammatio magnopere intensa est, et suppurativa emunctio maxima fit. Ast a forti caloris adplicatione peculiaris et alius etiasci videtur effectus, impressio nimirum fortis, aut systematis nervosi commotio, quae non parum ad quosdam morbos sanandos confert.

Calor, ad cauterium instituendum per metallica instrumenta calefacta, vel substantias

comburentes, vel aquam ebullientem ejusque vaporem, admovetur. Instrumenta metallica variæ calefacta temperie, ad topicas interdum irritationes et ulcera gignenda admoventur. Haec operatio, quae *Cauterium attuale* vocatur, prae alia quacumque methodo, illam systematis nervosi de qua diximus commotionem provocat. Ad effrenes morbos convulsivos, epilepsiam, hysterismum, et locales spasmos moderendos valet. An a dolore, vel a quacumque alia systematis nervosi mutatione dependeat hujus auxilii efficacia, difficile dictu; effectus interdum obtinetur priusquam, ille localis phlogoseos promoveatur gradus, ut per contra-irritationem vascularem agat.

Interdum ad cauteria conficienda ferrum adhibetur ignitum, partique per octo vel decem minuta secunda multa admovetur pressione, et adplicatio iterum etiam repetitur ubi ulcus optamus profundum. Cutis et textus cellularis pro parte destruuntur, et eschara, quae sex vel octo dierum lapsu cadit, efformatur, proindeque confectum ulcus idem ac cauterium exposcit tractamen. Boni ac feliciores ex cauterio attuali effectus habentur dum ad *album* usque *calorem* calefacimus metallum. Hac ratione adplicitum citissime vitalitatem, partisque sensibilitatem extinguit, et dummodo (ut D.r A. D. Tompson commendat) adjaceus cutis charta aqua madida aliave apta convenientique substantia defendatur, patientis imminuitur dolo-

rifica sensatio, certiusque remedii promoventur utilitates. Cauterium attuale ad malignas vegetationes, venenaque morbifica destruenda saepius a chirurgis in usum trahitur.

Alia adest cautere adurendi methodus, quae magis ac praecedens contra-irritantis naturam induit. In hunc finem, ferro ad rubram usque temperiem ignito, cutim paralellis lineis, eo modo ut spatium inter eas phlogosis extet immune, leviter tangimus. Tali modo longae, serrataeque efficiuntur escharae, quae intra octo vel decem dies ampliantur, dum omnis superficies furti detinetur inflammatiune, et nonnisi magna suppuratione favente, interdum per quindecim et ultra dies sese producente, molestus et phlogisticus ille combustionis status gradatim cessat. Ob gravem quam hic processus causat irritationem, ejus usus ad chronicos tantummodo torpidosque restringitur casus. Ad chronicam artuum intumescentiam, adfectionumque rheumaticarum posthuma auferenda bono adhibitus fuit successu.

FINIS

THESES DEFENDENDAE.

1.

Ventriculus princeps cachexiarum fons.

2.

Opii praestantia ad plures morbos debellandos ab ejus actione narcotica repetenda.

3.

Febris symptomatum complexus.

4.

In gastro-enteritide purgantium usus damnandus.

5.

Haud semper dum symptomata cessant morbus perfecte sanatus est.

6.

Adstringentia topice adhibita summopere in primo etiam gonorrhoeae stadio proficiunt.